

divinam. Et ad probationem dicitur, quod potentia obedientialis est finita entitative, et categorematice; infinita autem obedientialiter, et syncategorematiche, quia obedit, et subicitur infinitæ potentia, quæ secundum suam virtutem infinitam potest operari in creatura non tot, quin plura.

XLIV. Sed adhuc objicit Lorca: Quia si in Christo non fuit summa gratia determinate, et positive, non est cur dicamus per opera Christi meritoria non potuisse crescere ejus gratiam; si enim erat possibile hoc augmentum et Christus Dominus operabatur opera digna illo, cur privabatur tali augmento?

XLV. Respondetur, quod in quantumque majori gratia poneretur Christus, semper poterat idem argumentum fieri, quia potest syncategorematiche in infinitum crescere, et semper possum inquirere, quare non datur Christo major gratia, si illa est possibilis. Unde oportet tandem recurrere ad aliquam determinationem, et definitionem datam a divina sapientia. Quare dicemus, quod gratia Christi erat in termino, nec poterat crescere juxta connaturalem statum determinatum a sapientia divina; tum, quia erat comprehensor a primo instanti suæ conceptionis, et pro hac parte non poterat crescere gratia; tum, quia erat unita summo termino unionis substantialis. Quando autem gratia est in termino, etiamsi multa opera bona faciat, non crescit, nec meretur ejus augmentum, ut patet in beatis, et in animabus purgatorii, quæ quantum ad hoc sunt extra statum viæ; meritum autem solum datur in viatoribus. Et Christus licet esset viator, tamen in ordine ad consummationem, et terminationem gratiæ erat comprehensor, et ideo in gratia crescere non poterat per meritum; bene tamen poterat crescere in or-

dine ad alia extrinsece, quæ merebatur, sicut gloriam corporis, nominis exaltationem, etc.

#### ARTICULUS II.

*Quomodo gratia Christi possit dici infinita, et plena.*

I. Juxta ea, quæ diximus in initio articuli præcedentis de quadruplici infinitate, scilicet in quidditate, in qualitate, in relatione, philosophandum est in explicando infinitatem gratiæ Christi. Et supponimus cum S. Thoma, infinitum in entitate non dari, absolute loquendo, quia entitas gratiæ finita est in genere entis; an vero possit dici gratia ipsa infinita intra suum genus gratiæ, quæ est infinitas secundum quid, ex dictis præcedenti articulo decidi potest; sic enim frequenter loquitur S. Thomas, ut in hac quæstione, art. xi, et opusculo ii, cap. ccxv, ubi variis exemplis explicat hujusmodi infinitatem secundum quid.

II. Primo quidem: Quia habet ex parte ipsius formæ quidquid ad rationem gratiæ pertinere potest, sicut lux in sole potest dici infinita, et calor in igne, quia habent quidquid ad rationem lucis, vel caloris pertinere potest. Quod in prædicto opusculo sic explicat S. Thomas: « Quoniam si esset albedo, vel calor separatus, et si haberet finitam essentiam, haberet tamen totam plenitudinem illius: quando autem recipitur in subjecto non habet de necessitate, et semper totum quod pertinet ad rationem hujus formæ, sed solum quando sic habetur, sicut perfecte haberi potest, ita quod modus habendi adæquet rei habitæ potestatem. »

III. Secundo, explicita S. Thomas ibidem hanc infinitatem ex parte

recipientis, quia scilicet: « Et si ipsa capacitas recipientis sit finita, tamen quando alicui non tantum datur de bonitate divina, quanta est capacitas naturalis suæ speciei. videtur esse donatum secundum aliquam mensuram, seu restrictionem ex parte ipsius dantis: cum vero tota naturalis capacitas impletur, non videtur esse secundum mensuram donatum, quia etsi sit mensura ex parte dantis, qui plus daret, si plus posset recipere; et sic gratia Christi infinite, et non secundum mensuram dari dicitur, quia tantum datur, quantum natura creata capax est. »

IV. Ex quo patet, quod infinitas in hac acceptione nihil aliud est, quam plenitudo, quia scilicet datur tota forma, seu talitas formæ, et impletur tota capacitas recipientis; hoc autem semper intelligendum est juxta doctrinam articuli præcedentis, quod fit secundum connaturalem modum talis formæ, id est, secundum ordinem præfixum divinæ sapientiæ, quæ modum connaturalem gratiæ dat, eo quod gratia est immediata participatio divinæ naturæ, non in ordine ad potentiam absolutam Dei, ut explicatum est articulo præcedenti.

V. Sed dices: Ergo non differt modus plenitudinis gratiæ in Christo, a modo plenitudinis in aliis sanctis, qui in Scriptura dicuntur pleni gratia, quod est contra S. Thomam in articulo decimo. Nam alii sancti dicuntur pleni gratia respectu alicujus conditionis ex parte subjecti, seu officii ad quod assumuntur, juxta quod accipiunt plenam, et intensam gratiam secundum terminum præfixum a Deo, ut S. Thomas dicit hic articulo undecimo. Sed similiter Christus habet plenitudinem gratiæ, non ex parte ipsius formæ, quia hæc major esse potuit de potentia abso-

luta, sed ex parte dispensationis divinæ, quia sic mensuravit Deus juxta definitionem suæ sapientiæ, et secundum quod congruebat ipsi unioni: ergo non habuit Christus plenitudinem gratiæ ex parte ipsius formæ, sed ratione conditionis subjecti.

VI. Respondetur plenitudinem gratiæ in Christo, ut dicit S. Thomas, esse plenitudinem ex parte ipsius formæ, et non solum ex parte subjecti, quia habet gratiam in summa excellentia, qua haberi potest, et in maxima extensione ad omnes effectus gratiæ, ubi excluditur explicatio Vazquez hic disput. XLVI, cap. ii, qui plenitudinem gratiæ Christi solum explicat per hoc, quod habuit gratiam unionis, et infinitam dignitatem operum: cum tamen S. Thomas in intensione, et extensione ipsius formæ, quæ est gratia, illam ponat.

VII. Et quidem de extensione ipsius formæ constat esse summam, quia potest causare omnes effectus gratiæ, quatenus: *De plenitudine ejus omnes accepimus*, quæ plenitudo nulli gratiæ alterius sancti convenit. De intentione vero dicitur, quod habet summam, non in ordine ad potentiam absolutam Dei, sed in ordine ad connaturalem statum gratiæ, in hoc ordine rerum, quia hoc ipso quod est conjuncta Personæ divinæ petit connaturaliter esse summam in ordine rerum, quo producit; sed quia possunt produci a Deo diversi ordines rerum, ideo respectu omnipotentia Dei non est terminus aliquis in augmento ipsius gratiæ.

VIII. Quod si instes: Quia connaturalis modus gratiæ pertinet ad absolutam potentiam Dei, quia educitur de potentia obedientiali, et ita operatur juxta modum supernaturalem, qui est modus operandi de potentia absoluta; ergo idem est esse



summam gratiam connaturaliter, et esse summam de potentia absoluta, respondetur negando antecedens, et dicimus, quod connaturalis status gratiæ præcipue attenditur secundum duo. Primum, quod nihil habeat admixtum de suo contrario: secundum, quod sit conjunctum suo principio, et fonti a quo derivatur. Sicut lux in sole, et calor in igne dicuntur habere connaturalem statum, et modum, quia ibi sunt conjuncta suo proprio principio a quo dimanant, et nihil admittunt de suo opposito. Sic autem est in gratia Christi, quæ est conjuncta Personæ divinæ; habet enim ex tali conjunctione carere omni suo opposito, id est, peccato, tam formaliter, quam radicaliter, quia est impeccabilis ab intrinseco: et similiter habet proprium fontem gratiæ sibi conjunctum, scilicet Verbum Dei, juxta illud Eccles. 1: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*. Hoc tamen non tollit quin ultra istum connaturalem modum, et statum rerum possit absoluta potentia Dei magis ac magis intendere illam gratiam in alio ordine rerum.

IX. De infinitate ergo tam intensiva, quam extensiva sufficienter dictum est, quia nomine talis infinitatis, solum intelligimus plenitudinem, et adæquationem illius formæ intensivam, in quantum habet summam perfectionem in hoc ordine rerum, et in modo connaturali ipsius gratiæ: extensivam autem, in quantum habet universale principium merendi omnem effectum gratiæ, et derivandi illum infinitum syncategorematice, licet semper finitum categorematice, et determinate.

X. Circa infinitatem relativam, quæ est infinitas dignitatis, seu moralitatis in gratia Christi, multa possent adduci, nisi supra circa quæstionem primam D. Thomæ,

agentes de valore, quo satisfecit, dicta fuissent, quæ hic disputari possent. Breviter tamen dico, quosdam theologos existimasse dignitatem hanc esse modum quemdam positivum physicum, seu perfectionem resultantem in gratia Christi ex conjunctione ad Verbum. Quos suppresso nomine refert, impugnatque Asturicensis relectione de gratia Christi, pagina 216, cum sequentibus, sicut calor ex conjunctione ad animam producit carnem, et in femina producit lac. Imo putant in hac modali perfectione sitam esse extensivam perfectionem gratiæ Christi, ratione cujus est principium sanctificativum aliorum, et habet gratiam capitis, quod utique perfectio intrinseca, et realis est in gratia Christi. Ergo talis modus infinitus physicus ponendus est in illa.

XI. Alii vero per aliud extremum posuerunt hanc infinitatem consistere in denominatione extrinseca, seu acceptatione Dei, quod Marsilio tribuit Nazarius super hunc articulum XI, controversia prima; cui etiam ex parte accedit Vazquez hic disp. XLVI, cap. III, in fine, quatenus videtur asserere hanc infinitatem provenire extrinsece a gratia unionis, cui servit gratia habitualis.

XII. Nos vero, neque in modo aliquo physico absoluto superaddito gratiæ, neque in sola extrinseca denominatione, sed in reali ordine, et unione ipsius gratiæ ad Verbum, quatenus est in humanitate sibi unita, hanc infinitam dignitatem constituimus, et sic est aliquid intrinsecum in gratia, et actionibus Christi per modum relationis, et unionis. Sic sumitur ex D. Thoma, qui dicit: « Magnitudinem gratiæ Christi sumi ex hoc, quod ordinatur ad unionem personalem: » ut patet in hac quæstione VII, art. XII ad secundum, et infra quæst. X, art. IV ad tertium, et in IV, dist. IV, quæst.

I, art. III ad secundum inquit: « Quod gratia Christi dicitur infinita secundum quid, in quantum potest in omnes effectus gratiæ, et in quantum concurrat ad ipsam unionem infiniti boni, ut medium congruitatis, et ad operationem Christi, quæ est infiniti valoris in quantum est operatio divinæ Personæ. » Quæ omnia indicant respectum, et ordinem aliquem ad ipsam Personam et unionem hypostaticam.

XIII. Quod ergo illa infinitas, seu perfectio non sit modus aliquis physicus absolutus infinitus, præterquam quod non potest assignari, quis modus sit iste infinitus, quia non est modus intensionis, cum non sit infinite intensa gratia Christi, neque est modus extensionis, quia extensio gratiæ Christi, non est aliud, quam ipsa virtus gratiæ, secundum quod est universale principium derivandi gratiam ad alios, et merendi, non solum sibi, sed aliis. Hæc autem excellentia universalis principii, non apparet, quod sit solum excellentia modalis, et multo minus, quod resultet in gratia Christi ex unione ad Verbum, sed est intrinseca quædam participatio gratiæ, ab ipsa bonitate divina, quia gratia est immediata participatio Dei, et sic perfectio ejus intensiva, et extensiva, qua potest in alios derivare gratiam, sumitur ex majori participatione divinæ bonitatis, non ex conjunctione ad Verbum, quæ est illi intrinseca, et per accidens, licet hæc major participatio divinæ bonitatis data sit gratiæ Christi, quia conjuncta fuit Verbo, quasi occasione illius.

XIV. Unde dicit D. Thomas quæst. XXIX de veritate, art. V: « Quod humanitas Christi ex hoc ipso, quod præ aliis vicinius, et specialius erat divinitati conjuncta, excellentius divinam voluntatem participavit per gratiæ donum. Ex quo habuit,

ut per eam in alios gratia transfunderetur, sicut per corpora magis lucentia lumen solis ad alia transit. » Illa ergo extensio, qua Christi gratia fuit universale principium, non consistit in aliquo modo absoluto, proveniente a gratia unionis; sed in participatione excellentiori divinæ bonitatis. Quæ tamen excellentia per condecensiam data est animæ Christi, quia erat Verbo unita.

XV. Et præterea, quia hoc, quod est reddere animam Christi, et ejus actiones infinite dignas, non est effectus formalis absolutus alicujus entitatis creatæ superadditæ ipsi unioni, quia nulla entitas creata dignitatem habet in se infinitam, et increatam absolutam; sed omnis talis dignitas dicitur esse per respectum ad personam increatam. Ergo præter unionem, et respectum ad ipsam, non datur aliqua entitas, vel modus creatus absolutus, qui talem dignitatem possit præbere, qui excedat omnem perfectionem, et entitatem creatam.

XVI. Quod vero non sit sola denominatio extrinseca, ex eo probatur, quia humanitas Christi, ejusque potentiæ realiter inter se sunt unitæ, et terminatæ Persona divina, sicut in aliis suppositis, et rebus subsistunt, et terminantur sua personalitate creata. Similiter actiones vere, et realiter, et non per denominationem extrinsecam oriuntur ab ipsa persona, et humanitate, et gratia: ergo habent in se realem respectum et ordinem ad personam infinitam, tamquam ad proprium principium quod, et totale ipsarum actionum: sed iste ordo sufficit denominare illas tantæ dignitatis: ergo hæc denominatio est aliquid intrinsecum. Minor patet, quia hic ordo denominat illas vere et realiter procedentes a Deo, quod est esse actiones theandricas: ergo vere facit illas actiones Dei, et hominis. Hoc autem



facit eas dignas æstimatione morali infinita: ergo ista æstimatio moralis fundatur in aliquo reali ordine, quo tales actiones realiter egrediuntur a Deo homine, illique uniuntur.

XVII. Ac denique, quia demominatio extrinseca semper provenit ab aliqua vera, et reali forma, intrinsece existente in alio, sicut esse visum in pariete a visione existente in oculo. Persona autem divina non existit intrinsece in alio, quam in humanitate, ejusque potentiis, et habitibus, quatenus Persona divina realiter est unita illi naturæ, eamque reddit realiter subsistentem, et terminatam, non per extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam dependentiam humanitatis ab ipsa: ergo ipsa dignitas actionum Christi, et gratiæ illius, non fundatur in extrinseca denominatione, sed in aliquo intrinsece respectivo, quatenus realiter, et intrinsece uniuntur Personæ divinæ, et actiones ab illa procedunt.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

XVIII. Ex quo facile diluuntur objectiones, quæ possunt fieri contra hanc resolutionem. Objici enim solet: Quia illa moralitas est infinita, et non potest recipi in entitate finita, qualis est gratia, et in actio Christi.

XIX. Item: Non potest procedere hæc infinitas a solo Verbo, cum Verbum nihil efficiat in humanitatem seorsum ab aliis Personis, sed tantum terminet naturam: neque a tota Trinitate, quia sic infinitas meriti tribueretur omnibus Personis, cum tamen solum dicatur mereri Persona Filii, quæ incarnata est.

XX. Denique: Quia gratia Christi non potest dare effectum formalem infinitatis moralis: ergo neque ipsa est infinita moraliter. Antecedens

patet, quia effectus formalis gratiæ est acceptatio ad gloriam, non potest dare acceptionem ad gloriam: ergo.

XXI. Respondetur ad primum, quod illa moralitas infinita potest recipi in entitate finita, quia etiam ipsa moralitas entitative sumpta finita est, scilicet relatio realis ad Personam Verbi, sive unio, quæ est in humanitate, et relatio actionis egredientis ab illa Persona, ut a principio operante. Istæ enim relationes entitative sunt finitæ; terminative autem infinitæ; et ideo creatura est capax illarum. Dicuntur autem moraliter infinitæ, quia terminantur, seu uniuntur principio infinito, vel ab illo procedunt, et sic æstimationem habent infinitam.

XXII. Ad secundum dicitur, quod unio humanitatis efficienter est a tota Trinitate; terminative autem, et personaliter a solo Verbo; et similiter operationes Christi procedunt a Persona, ut principio quod proximo supplente vicem creatæ: efficaciter autem sunt a tota Trinitate tamquam a causa prima, sicut reliquæ operationes aliarum rerum. Dignificatio autem, et æstimatio moralis non sumitur ex causa prima, et remota, alias omnes operationes creaturarum essent infinitæ dignitatis, quia procedunt a Deo, ut a causa prima; sed sumitur dignificatio a principio proximo, et a Persona, a qua procedunt, et sic procedunt operationes a Persona Christi efficienter, ut a principio quod proximo, a tota autem Trinitate efficienter, ut a causa prima.

XXIII. Ad tertium dicitur, quod gratia Christi, ut conjuncta Verbo, sicut dat acceptionem ad gloriam, etiam ipsi Verbo conjunctam; ita etiam dat acceptionem ad gloriam infinitam, non infinitæ intentionis, sed moralitatis, quia etiam ipsa gloria habet infinitam æstima-

tionem ex conjunctione ad Verbum.

XXIV. Ad motiva primæ opinionis supra relatæ, respondetur esse discrepantiam rationem de calore producente carnem, aut lac et de gratia infinite dignificata, quia calor ordinatur, et sumitur, ut instrumentum ad producendum physicum effectum ultra suam speciem; et ideo dicitur physice perfici perfectione aliqua absoluta, ad talem effectum producendum. At vero gratia solum dignificatur moraliter ex conjunctione ad Verbum, quæ quidem conjunctio non exigit ultra respectum unionis, aliquem modum, seu perfectionem absolutam. Nec potest talis dignitas, et æstimatio formaliter provenire ab aliqua forma creata, sed ab ipsa Persona infinita, ut conjuncta tali gratiæ, et operationibus illius, quare præter conjunctionem, nihil aliud requiritur.

XXV. Ad secundum dicitur, quod esse principium sanctificativum aliorum, et gratiam capitis, si sumatur pro eo, quod est virtutis ad influendum in alios gratiam, et merendum pro illis, est perfectio intrinseca gratiæ, proveniens ex majori, et excellentiori participatione bonitatis divinæ, ut supra diximus ex D. Thoma. Unde neque repugnabit hanc perfectionem, et excellentiam conferri alicui puræ creaturæ, licet non esset decens, ut docet S. Thomas in iv, dist. v, quæst. i, art. iii, quæstiuncula ii, et in sequenti quæstione latius explicabitur.

XXVI. Si autem sumatur gratia capitis pro ipsa auctoritate, et dignitate infinita morali, unde actiones Christi habent valorem ad satisfaciendum de rigore justitiæ, et ad hoc, ut sint actiones theandricæ, sic dependent a Persona Verbi, et ex conjunctione ad illam recipiunt hanc moralitatem, non per aliquam

perfectionem absolutam superadditam, sed ex sola conjunctione, et terminatione ad Verbum, ut declaratum est.

## ARTICULUS III.

*Utrum gratia habitualis possit dici passio, vel ad modum passionis respectu gratiæ unionis?*

I. Occasionem præbuit huic difficultati S. Thomas in articulo xiii hujus quæstionis ad secundum: « Quod gratia habitualis in Christo non intelligitur, ut præcedens eam, sicut quædam proprietas naturalis. » Unde et Augustinus dicit: « Quod gratia est quodammodo Christo homini naturalis. » Ad explicandum ergo exacte, quomodo in Christo habeat connaturalem statum, ideoque postulet esse summam saltem connaturali modo, sicut lux in sole, restat verificare, quomodo gratia possit dici propria passio in Christo, et quomodo illud subjectum sit illi connaturale.

II. Et est ratio dubii, quia ut sit propria passio in Christo, et illud subjectum sit illi connaturale requiritur, quod naturaliter, et necessario sequatur in Christo: at omnibus etiam principiis stantibus, tam ex parte naturæ assumptæ, quam ex parte personæ assumptis, libere potuit a Deo non conferri illa gratia: ergo frustra dicit D. Thomas, quod sequitur, sicut naturalis proprietas, et sicut splendor ad solem.

III. Ex alia vero parte videtur se habere, ut propria passio, quia gratia unionis est aliquid perfectissimum, et supremi ordinis: ergo debet habere aliquas proprias passiones ordinis supernaturalis. Nulla autem aptior est, quam gratia habitualis, sicut enim virtutes infusæ